


## **Dissertatio Theologica Inauguralis De Gratia Generatim Considerata**

Rostochii: Adlerus, 1741

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn82974178X>


Druck Freier  Zugang






59.

Fa-1092(59.1)



28  
3  
4  
5  
6  
9  
10  
11  
12  
4



- 1. Sartorius, de imagine diuina
- 2. Heibitz, de vindictis Salomonis aduersus criminationem scepticismi.
- 3. Semler, de mysticorum interpretationum studio ab Aegyptiis patribus maxime repetenda, hodie parum utili.
- 4. Sartorius, de antirationalismo apostolico, occasione oraculi 2 Cor. 10. 5.
- 5. Semler, de Daemoniacis quorum in euangelio sit mentio.
- 6. Kuhn, *Über die Bedeutung des Wortes "Gott" im N. T.*
- 7. Fichtelmair, de schola Jabnensi celeberrima quondam Palaeorum Academia praemittit.
- 8. Feibichius, *Συμπόσιον ἀντισημιτικῶν τὰς ἐπιστολῶν.*
- 9. Nettelbladt, de genuina prophetaum de praesenti et de futuro notione.
- 10. Nius, de methodo Hildebrandina.
- 11. Boekner, de morbo ex hypochondriis.
- 12. Gottsched, de memoria Adelsiana et Sygleriana.
- 13. Huet, de personarum
- 14. Roessler, de vita veterum sublativis manibus precandi.
- 15. Burgmann, de vetere Testamento etc.
- 16. Hartmann, in 2 Petri 2. 1. de actu reprobis vero refectionis etc.
- 17. *Idem*
- 18. Stepinus, characterem trajectiographi.
- 19. Baste, du Deluge par l'auteur de la methode etc.
- 20. Prüfung der Inauguraldissertation Joh. H. Müllers. von Niemann Ubbelohde.
- 21. Prier, de diuina vaticiniorum origine.
- 22. Prier, de reptione Lutheri verborum Genf. c. 4. comm. 26.
- 23. *הוֹרָה בְּסֵפֶר מְחֻלָּה*
- 24. Carpow, de speculo exponentem speciatim
- 25. Carpow, de fucis et tinctura, oculorum, faciei, capillorum exponentem speciatim
- 26. Quistorp, exegesis theologica notionis biblicae filiorum Dei.
- 27. Quistorp, de adoptione diuina vniuersim spectata.

59.

27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50  
51  
52  
53  
54  
55  
56  
57  
58  
59  
60  
61  
62  
63  
64  
65  
66  
67  
68  
69  
70  
71  
72  
73  
74  
75  
76  
77  
78  
79  
80  
81  
82  
83  
84  
85  
86  
87  
88  
89  
90  
91  
92  
93  
94  
95  
96  
97  
98  
99  
100

- 26.) *Carpow*, de *απαι* in scriptura *εξομων*, *Gilionim* filiarum *Zion*.  
*Jes. 3. 23.*
- 27.) *Burgmann*, de *Deismo* generatim spectato.
- 28.) *Hartmann*, de *impossibili* quorundam ad *Metanoian* reuouatione.  
*Hebr. 6. 4. 6.*
- 29.) *Hardtewig*, de *dormientibus*, *Secunda* agens de *iusta* *Romae* *Salutaris*  
*quantitate* et *mensura*.
- 30.) *Engelenken*, de *otio* *Monachorum* *haud* *probando*.
- 31.) *Roesenberg*, de *genesi* *intellectus* et *rationis* ex *actu* *reflectionis*.
- 32.) *Burgmann*, de *πνευμα* *illud*. *Christi* *chari* *14. com. 41.*
- 33.) *Burgmann*, de *ayora* in *lege* et *testimonio* *conspicua* ex *Jes. 8. com. 20.*
- 34.) *Burgmann*, de *gratia* generatim *considerata*.
- 35.) *Hartmann*, de *argumentis* quibus *praestitam* *esse* *pro* *impenitentia*  
*finali* *satisfactionem* *Christi*.
- 36.) *Quistorp*, de *notione* *filiorum* et *filiorum* *Dei* *Biblica*.
- 37.) *Ducy mann*, de *Deismo* *naturalistarum* generatim *spectato*.
- 38.) *Hartmann*, de *argumentis* ad *euin* *euincendum* *satisfactionem*  
*Christi* *eti*.
- 39.) *Zahn*, de *polyto* *non* *superintendente*.
- 40.) *Paulmann* = *Gurist* = *Vellus* *uindus* *dia* *Institutu* *in* *Frankenif.*
- 41.) *Chladenius*, de *uocatione* *diuina* ad *ministerium* *ecclesiasticum*.
- 42.) *Franz*, de *uelibata* *ecclesiasticorum* *specimen* *secundum* *de* *causis* *illius*.
- 43.) *Wülfemann*, de *natura* *methodi* *mathematicae*, *eiusque* *usu* *in*  
*philosophia* et *theologia*.
- 44.) *Nahmachers*, *annotationes* *annotationes* ad *locum* *Matth. 19. 24.*
- 45.) *Peters*, *vim* *cohesionis* *explicandis* *phaenomenis*, *quae* *vulgo* *vi*  
*attrahenti* *tribuuntur* *haud* *sufficere*.
- 46.) *Quistorp*, de *lauris* *poenitentiae* *uictimis* *iaenistaram* *eti*.

U U 3

DISSERTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS  
DE

# GRATIA GENERATIM CONSIDERATA

QVAM

CONSENTIENTE SUMMVM VENERABILI  
THEOLOGORVM ORDINE  
PRAESIDE

DN. IO. CHRISTIANO BVRGMANNO

PHILOS. ET TH. D. HVIVSQVE P. P. O. FACVLT. THEOL. H. DE.

CANO ET AD AEDEM SP. S. PASTORE

IN ILLVSTRI ACADEMIA ROSTOCHIENSI

EIVSQVE AVDITORIO MAXIMO

D. XXVIII. MARTII AO. AE. CHR. 1722 CC XLI.

AB HORA IIX MATVTINA AD XII VSQVE

AD EXAMEN PVBLICVM DEFERT

M. THOMAS CHRISTOPHORVS LVGER

GVSTROVIENSIS S. THEOL. CANDIDATVS

*PRO LICENTIA*

PRIMOS IMPETRANDI IN THEOLOGIA  
BACCALAVREATVS HONORES

QVOS FINITA DISPVATIONE STATIM EIDEM CONFERET  
ET VT ACTVM ILLVM

MAGNIFICVS DOMINVS ACADEMIAE RECTOR

CAETERIQVE TAM LITERARVM FAVTORES

QVAM

ACADEMIAE CIVES

PRAESENTIA SVA HONORIFICA ET IVCVNDIA EXORNENT

AVGEANTQVE

OBSEQUIOSE ET OFFICIOSE ROGAT

DECANVS ET PRAESES.

---

ROSTOCHII, LITTERIS IOAN. IAC. ADLERI,

SERENISS. PRINC. ET ACAD. TYPOGR.



GRATIA GNERATIM  
CONSIDERATA

D. JO. CHRISTIANO BURGANNIO

M. THOMAS CHRISTOPHORVS MASTER

PRO LICENTIA  
PRIMOS IMPETRANDI IN THEOLOGIA  
BACCALVRATVS HONORIS

QUO FINITA PRVTATIONE STATIM EDEM CONFERRET  
ET VI ACTVM HVM  
MAGNIFICVS DOMINVS ACADEMIE RECTOR  
CAETERIQVE TAM LITERARVM HAVDORES

ACADEMIE CIVIS  
PRAESENTIA SVA HONORIFICA ET INVOCANDA EXORNENT

DECANVS ET PRAESSES

ROSTOCKIAE LITTERIS IOAN. IAC. ADLERI  
PUBLICE IMPR. ET ALII. TYPOG.



I. N. I. A.

§. I.



eriti vocabulum mox propriam, mox im-  
propriam significationem admittit. *Im-*  
*proprie* operam alteri debitam exprimit,  
cui tamen sive perfectiori, sive imbe-  
cilliori gratuita alterius promissio re-  
spondet: seu id vocatur, cum quis offi-  
cia praestat ita, ut alio ea conferre non  
licuisset, quorum & remuneratio nulla  
lege inculcata est, destinatur autem ob

favorem remunerantis. Hoc modo demerebatur DEVM Ada-  
mus integer, cuius, licet omnia is ipsi deberet, nec etiam DE-  
VS remunerandi lege teneretur, ita tamen recta ad normam  
obligationis fuere opera, ut DEVM commoverint, non aequan-  
di studio, quod inter opus finitum & aeternam gloriam non  
datur, sed approbandi recta instinctu decernere compensati-  
onem. Motivum igitur remunerandi huius generis merita  
ab operis rectitudine comparata ad obligationem operantis  
depromi, generatim liquet.

§. II.

*Proprie* sumtum aliud primū, aliud secundi ordinis est.  
Illud stricto & accurato significatu vocant, cum bonum in al-  
terum

A 2

terum conferimus, compensatione aequandum, non solum ob convenientiam, quia vires agendi & alibi impendere potuiffemus, sed & ob legem, quae remunerationem praecipit: seu est opera, sui perfecto iure remuneratio debetur, ut merces operariis pro labore. *Hoc laxiori sensu interpretamur, cum officia aliis praestamus, quae propter nullam legem compensanda sunt, sed ob convenientiam duntaxat, quia vires potuiffemus ad alios applicare: seu est opera, cui remuneratio vel certe gratus debetur animus iure imperfecto. Atque horum in classe meritorum numerantur beneficia, quibus alii alios demerentur, nulla tamen compensationem postulante lege. Ceterum motivum compensandi utramque hoc meritum a studio aequandi paria paribus desumi quis non intelligit?*

## §. III.

*Improprio sensu bona renatorum opera, imbecilliora licet, meritoria esse, non iustificationis & salutis aeternae, qua substantiam spectata, sed aliorum praemiorum, corporaliū & spiritalium in hac vita & post hanc vitam, & speciatim eleemosynas multa DEI beneficia mereri, mitigare poenas (non formaliter adhuc tales, sed materiales), mereri, cur defendamur in periculis peccatorum & mortis, in Apologia Aug. Conf. dicitur Art. III. de dilectione & impletione legis, p. m. 144, 170. Vide sis Cel. D. D. WALCHII introduct. in LL. Eccl. Lutheranae Symbolicos L. I. C. IV. §. XV. p. 440. seqq. Ad propriam vero meriti significationem quod attinet, DEVM demereri nequam possumus, eo quod fieri nequit, ut indebitum praestemus ei, seu ut praestemus, ad quod praestandum perfecte non sumus obligati, prouti ipse Servator hoc & in parabola & verbis, clarissimis inculcavit Luc. XVII, 7-10. Ast omne meritum proprie dictum indebitum esse, siquidem nec pactum cum altero quisquam necessario inicit, nec beneficia necessario praestantur, ex dictis consequitur. Taceo, secundi ordinis merito ne devinciri quidem, nisi qui opera nostra iuvare queat. Est vero DEVS sibi sufficientissimus. Vnde gentium Doctor Rom. XI, 35: *Quis prior ei quicquam dedit, quis beneficiis eum adfecit, imo adfi-*  
cere*

cere potuit, ut ius haberet expectandi remunerationem? Vtor verbis acutissimi CANZII usus Philosophiae Leibnitianae & Wolffianae in Theologia P. I. C. X. de iustificatione §. 5. 6. Discipularum moralium disc. praelim. C. II. §. 60 c. d. e. f. g.

§. IV.

Quicumque alteri sine merito benefacit, is dicitur id facere *gratis*. Studium autem gratis alteri benefaciendi dicitur *gratia*. Quantumcunque igitur DEVS homini benefacit, id illum *gratis* facere, adeoque *ex gratia* intelligimus (§. 3. 4).

*Schol.* Gratiae hanc notionem ipse nobis insinuat PAVLVS Nam Rom XI, 6 gratiam & meritum operum clarissime sibi invicem opponit, non esse electionem ex operibus. si sit ex gratia, nec esse ex gratia, si sit ex operibus asserens, quia posito priore, gratia non gratia, & posito posteriore, opera non essent opera. Vid. Cel. CARPOV. Theol. Revelatae Dogmaticae P. I. C. II, §. 680.

§. V.

Quod homo lapsus ex statu miseriae eluctetur, salutisque aeternae particeps fiat, bonitati divinae, si quod aliud, acceptum ferre debet, *gratis* operanti (§. praeced.), atque hinc gratiae divinae (§. cit.), κατ' ἐξοχην ita dicitur, quoniam, quicquid circa hunc finem DEVS operatur, quam maxime sine merito hominis proprio adeoque *gratis* agat, necesse est: unde etiam ad hanc eius praecellentiam ostendendam PAVLVM non tantum gratiae simpliciter; sed modo δοξης της χαριτος Eph. II, 2, modo πλουτου της χαριτος v. 7, modo υπερβαλλοντος πλουτου της χαριτος mentionem iniecit haud obiter notari velim. Loquor impraesentiarum stilo scripturae de gratia κατ' ἐξοχην.

*Schol. I.* Studium gratis alteri benefaciendi *gratiam* vocamus (§. 4). Cum igitur, quicquid boni per naturam homines possident, id immerentibus DEVS conferat, gratiam divinam per naturam quoque se exferere statuendum est. Hoc sensu

CORNELIUS IANSENIUS reëitudinem hominis primaevam in imagine DEI, ipsi concreata imo naturam eiusque perfectionem gratiam appellavit. Neque vero ista vocis acceptio in scriptura sacra obtinet, licet a scriptoribus ecclesiasticis non nunquam usurpari haud negetur. Lulit itaque perpetuo quondam hac distinctione *Pelagius*, propriis viribus conversionem adscribens, & tamen eam gratiae, h. e. bonitati divinae per naturam agenti tribuens. Comp. b. FECHTIVS *Compend. Theol.* C, XVIII. §. 2. p. 477.

*Schol. 2.* Termini: *bonitas, gratia, misericordia* DEI neque res perfecte diversas significant, neque pro perfecte synonymicis haberi debent: sed sunt synonyma *respective* talia, quippe quæ rem materialiter eandem, sed formaliter diversam exprimunt. *Bonitas* enim gratis data *gratiam*, in misero exercita *misericordiam* declarat.

*Corollar.* Studium gratis alteri benefaciendi & appetitionem felicitatis alterius, cum proposito eam gratis pro virili promovendi, & huic scopo conducentes operationes involvit. Nec ergo haec in idea gratiae divinae complete resolvenda separare invicem possumus (§. 5). Vocant autem hanc DEI gratiam *activam*, cui *passiva* eo respondeat sensu, quo actiones entis A in subiecto B terminatae, harumque in B connectaria passiones dixerim.

### §. VI.

DEVS igitur per *gratiam* suam hominis lapsi vindicationem e statu miseriae salutisque aeternae reparationem promovere studet (§. 4. 5). Studium illud necessario (§. 5. Cor.) a) sibi praeferit finis huius appetitionem, cum proposito eum existentiae reddendi, deinde b) destinationem medii infert, quo finis hic obtineatur, nulla hominum industria, nullis obtentu possibilis creaturae viribus, c) medii sapienter destinationem, denique d) in homine restituendo applica-

### §. VII.

§. VII.

Variae hinc (§. 6.) ortae sunt gratiae divinae denominationes, licet, si eam materialiter, h. e. in se s, quoad substantiam spectes, una sit eademque circa hominem in peccata lapsum salvandum DEI operatio, indivisam atque simplicissimam illius vim supponens, quatenus nimirum in DEO terminatur, neque vel ad humanam Christi naturam, vel ad subiectum instaurandum refertur. Nimirum generatim gratiam divinam dispeſcunt in *acquirentem* & *adplicantem*, quarum *illa* & appetitionem salutis hominum lapsorum cum proposito eam efficiendi, & medii huc comparati modo destinationem, modo sapienter destinati executionem, *haec* vero eius in subiecto salvando adplicationem complectatur. Specialim *illa*, quatenus appetitionem salutis, mediique sapientissimi destinationem exprimit, *primae commiserationis affectus* dicitur, cui subiungimus *gratiam Filii redemptricem, acquirentem* striete dictam, quippe qua *Λογος* in carae manifestatus praestita activa passivaque satisfactione destinatum reparandis hominibus medium executioni dedit. Quantumvis enim haec Filii DEI, personaliter considerati, operatio sit, neque Patrem & Sp. S. in propria personae praestita satisfactione vicaria hominum saluti consuluisse dicendum, tamen, quia tres Deitatis personae intra eandem vim infinitam subsistunt, quicquid o *Λογος* operatur, vi radicali divina licet characterisata, agat necesse est. Sequitur *benivolentia DEI universalis*, gratiae adplicantis principium, praevisae vero acquirentis consequens. Postquam enim DEVS per gratiam suam restituendae hominum saluti medium sufficientissimum destinavit, idque operatione sua certo exsequendum ceu iam existens & executioni datum distinctissime cogitat, ut homines illius ope ad amissam salutem actu reducantur, non potest non ferio velle. Concipimus hic studium DEI, quo omnes in universum homines satisfactione τς *Λογος* vicaria ab interitu revocatos salvos vult. Atque id ipsam *benivolentiam universalem* vocant, conditioni fidei alligatam, ei scilicet, quam DEVS, quia satisfactio vicaria non  
nisi

28  
30  
32  
385  
39  
40

non nisi fide prodesse nobis potest, mediis producere fidem gignentibus adhuc intendit. Oritur hinc *altera* gratiæ quasi species, latius dicta species, vel alter gradus, circa ipsam hominis restituendi salutem actuandam occupata, facta redemptionis CHRISTI per fidem applicatione. *Applicantem* eam dicunt, atque Sp. S. appropriant, vi radicali divina, licet characterisata, operanti.

*Scholion.* Nos omnium illarum idearum realitatem h. l. minime adstruimus. Tantum convertimur ad gratiam applicantem, varias illius divisiones recensaturi.

### §. VIII.

Gratia adplicans s. applicatrix Sp. S. occupata est circa ipsam hominis restituendi salutem actuandam, facta redemptionis CHRISTI per fidem applicatione (§. 7). Per illam igitur, ut homo actu salvetur, cum DEVS efficere studeat, fidei potissimam rationem habere debet, quam quoque legitimo mediorum usu operandam singulis offert, & si qui haud resistunt, *κατα την ενεργειαν του κρατος της ισχυος αυτου* vere excitat. Palmarium proinde gratiæ applicantis caput constituitur fidei salvificæ donationem, quæ *regeneratio* audit. Hanc dum aliae DEI operationes ad hominem acta salvandum præcedunt, aliae sequuntur, applicantem gratiam recte in eam, quæ circa hominem *regenerandum*, & quæ circa *regeneratum* versatur, dispesci patet. Dicitur autem gratia adplicans, quæ in homine regenerando *versatur*, *assistens*: contra, quæ in regenerato, prouti mutationem eius vel moralem vel physicae mutationi analogam, spiritualement efficit, priori modo *iustificans*, posteriori *inhabitans*.

*Schol. I.* Quemadmodum mutari ens dicitur, dum non idem, quod ante erat, manet, sic h. l. speciatim mutatio entis *physica* est, si in intrinsicis eius non idem, quod ante erat, manet; *moralis*, si in æstimatione aliorum. Vid. cel. CARPOVII Theol. rev. dogm. T. II. S. I. C. III. Sect. VII. §. 1028. Cum igitur in iustificatione, ob imputatam obedientiam CHRISTI passivam, homo pro

pro non peccatore, et, ob activam impuratam, pro perfecte iusto reputetur, in inhabitatione vero DEVS gratiose eidem praesens fit, iustificantem gratiam mutationem homini moralem, inhabitantem physicam inducere liquet. Nota: gratiae iustificantis effectum immediatum esse adoptionem, quacum sub eodem actu forensium genere contineatur, innuente Cel. PFAFFIO *institutt. Theol. dogm. et mor.* P. II, C. VIII, §. I, p. 486. sq.

*Schol. 2.* Nonnulli Theologorum gratiae assistenti inhabitantem ita opponunt, ut, quicquid assistens gratia non est, quam in regeneratione terminari statuunt, ad inhabitantem referant, termino latius accepto. Alii praeterea sunt, quibus gratiae assistentis terminum ad quem in conversione *μερική* s. contritionis actu, inhabitantis vero terminum a quo in regeneratione figere placet, cui divisionali aliam adhuc accommodant in *assistentem*, in contritionis actu terminatam, *ingredientem*, quae regenerationem et iustificationem cum adoptione complectatur, *inhabitantem*, quae praesentiam DEI gratiosam ac efficacem in cordibus iustificatorum enuntiet, v. HOLLAZ *Syst. Th. P. III, Sect. I, C. IV, qu. 4. p. 225.* Nos, deprehenso, *assistentis* et *inhabitantis* gratiae vocabulis praesentissimam DEI in salvandis hominibus, modo ab extra, modo ab intra se exerentem operationem commode indicari, gratiam iustificantem una cum adoptante, quippe actum iudiciale s. forensium medium ponimus inter duo, ut igitur eam assistens antecedar, ad complementum fidei usque continuata, sequatur vero inhabitans.

*Schol. 3* Ceterum distinctio gratiae divinae in *assistentem* et *inhabitantem* Scripturae S. conformis est. Ita enim CHRISTVS Apoc. III, 20: *ecce, sto ante fores et pulso eas: si quis audiverit vocem meam, et aperuerit ianuam, intrabo ad eum, et cenabo cum illo, et ille mecum.* Iam vero stare ante fores, et pulsare eas sunt actus gratiae *assistentis*, ad quam pertinet aperitio ianuae per fidem, voce CHRISTI pulsantis audita, siquidem, licet pulsato subiecto tribuatur, gratiae tamen unice debetur, fidem operanti, quam tamen

B

vel



vel admittere vel aspernari homo potest. Ad *inhabitantem* gratiam spectant actus ingrediendi et coenandi, quibus unionem mysticam designari crediderim. Vix enim ac ne vix quidem cum iis facio, qui, cum (Sch, 2) vel ad *inhabitantem* gratiam modo iustificantem cum adoptante, modo regenerantem cum iustificante et adoptante una referunt, το εισερχεσθαι hoc sensu atius capiunt, vel, cum per τριχοτομιαν inter gratiam assistentem, ingredientem, et *inhabitantem* distinguant, regenerationem cum subsequente iustificatione et adoptatione ista voce comprehendunt. Ecce significatum terminorum communem atque alibi in scriptura receptum, vel alterando, vel alienando immutabimus? Certe DEVS non *ingreditur* cor hominis, nisi quando iam regeneratus, iustificatus, inque numerum filiorum DEI adoptatus fuerit, s. non *ingreditur* domicilium sibi nondum praeparatum. *In*greditur enim animo ibi manendi coenandique.

*Schol 4* His ferme consona est distinctio inter gratiam *praevenientem* et *subsequentem*, qua nonnulli utuntur. *Praeveniens* enim, quae sensu laxiori hic sumitur, omnes actus gratiae assistentis complectitur. *Subsequens* autem, quae ad *inhabitantem* alias referuntur, includit. Comp. b. WERNSDÖRFF, assert. sanæ doctr. de *gratia Sp. S. docente* disp. I. Cel. D. D. QVANDTII disp. inaug. Praeside b. KRAKEVITZIO de *CHRISTII, ostio pulsato, ad coenam ingressu* Contr. I. p. 47. seqq.

### §. IX.

DEVS in regno gratiae supernaturaliter agens naturae creaturae rationalis convenienter agit, adeoque in producendis animae motibus nexum appetitionum & aversionum sibi invicem succedentium cum repraesentationibus intellectus perpetuo observat. Quod si igitur homo peccator adultus ad fiducialiter apprehendendam satisfactionem CHRISTI vicariam per fidem perducatur debet salvificam, ut medicinae huius spiritualis desiderio ex metu poenarum divinarum maxime aeternarum

narum oriundo, atque hinc ob tot malorum repraesentationem taedio insigni, imo tristitia, adficiatur necesse est: fidem igitur antecedit contritio cordis pro statu sumta: utramque vero illuminatio mentis tam legalis, quam evangelica pro statu sumta, s. cognitio veritatum legalium & evangelicarum cum assensu generali & speciali. Patet iam, conversionem *μερικως*, s. contritionem active spectatam regeneratione, utraque vere gratiam illuminantem seu illuminationem activam natura priorem esse.

*Schol. 1. Cel. CARPOV. Th. R. D. T II P. I. C. III Sect. III. §. 819* fidei genesisin distincte traditurus sequentem in modum differit: *Scilicet 1. per illuminationem legalem homo peruenit ad agnitionem peccatorum, et, qua cum illis coniuncta sunt. pœnarum divinarum temporalium et maxime aeternarum; unde ob naturalem a malo suo aversionem in mente eius tristitia, quam contritionem dicimus, oritur, una cum non amplius peccandi proposito, et medicinae spiritualis desiderio, ad tollendum reatum anxio. Ita autem dum mente peccator adfectus est, 2. per illuminationem evangelicam ipsi in promissionibus generalibus ostenditur medium ex miseria eluctandi brevissimum, sc. hoc, quod satisfactio CHRISTI, qua reatus iam sublatus et salus acquisita est, per fidem debeat adprehendi. Quod liberationis a pœna et salutis medium dum solum verum et genuinum esse certo novit vi illuminationis evangelice; at ipse eiusmodi medium, ut paulo ante dictum, avidus cupiebat, 3. per naturalem suam ad propriam felicitatem inclinationem facere non potest, quin, nisi promissionibus DEI generalibus et ad se adplicatis, adprehendat satisfactionem istam CHRISTI vicariam fiducialiter; pariter ac egrotus sanitatis cupidus facere non potest pro naturali suo ad felicitatem nisu, quin medicinam ostensam, modo vere talem esse credat, avide arripiat, et ad se adplicet. At fiducialis illa satisfactionis CHRISTI adprehensio dicitur fides, et quisquis eam habet, in CHRISTVM credere. Ergo 4. dum ita homo animo adfectus est, oritur in illo fides.*

*Schol. 2. Conversionis nomen uti specialissime s. strictissime*

B 2.

me

me productionem virium pœnitendi, non solum a justificatione et renovatione, sed et ab illuminatione et regeneratione distinctam significat, ita *generaliter* s. latissime quicquid operationis DEI salutaris inde ab illuminatione iustificationem modo antecedit, modo consequitur, *specialiter* autem vel stricte illuminationem, conversionem sensus strictissimi h. e. contritionem pro actu sumtam, atque regenerationem complectitur. Hoc sensu eam dividunt in *ordinariam* et *extraordinariam*. *Ordinaria* est, quæ fit interveniente ordinario verbi ministerio, *extraordinaria*, quæ quidem non fit sine omni verbo, sine interveniente tamen ordinario verbi ministerio, dum vel DEVS ipse verbum proponit, aut miraculis verbum stipat, aut utitur ecstasi et visione etc. Vnde modum conversionis ordinariæ et extraordinariæ uniformem esse concludimus (§. 9).

## §. X.

Medium, quo DEVS hominem adultum convertendum & regenerandum illuminat (§. præc.), est scriptura sacra, s. verbum DEI scriptum tam legis quam Evangelii. Loquor de illuminatione mediata, non, qualis Patriarchis, Prophetis, Apostolis & viris Apostolicis, canone scripturae vel planenon, vel non plene exstante, modo per alloquia divina, modo per ecstases, modo per somnia, modo per *ἰστορευσιάν* contingit, immediata. Constat autem per se, quod, cum ante scriptam scripturam sacram revelationes divinae per traditionem propagatae fuerint, loco verbi scripti, per eundem temporis tractum ex iis quoque illuminatio (mediata) fuerit petenda.

*Schol.* Illuminationes, immediatas hodie non amplius expectari debere, sed in mediata acquiescendum esse, quæ oriatur ex verbo DEI scripto, ex Ioh. V, 39. 2 Tim III, 15. 2. Petr. I, 19 edocemur.

## §. XI.

Vt homo adultus ad notitiam veritatum evangelicarum, ad sensumque tam generalem quam specialem perducatur, utatur

tur DEVS medio verbi evangelici scripti externo (§. 10), quod vel praedicatum auribus, vel in manus traditum legendo percipere homo debet: at in annuntiatione Evangelii consistit forma *vocationis directae*. Vocatio igitur directa prior est illuminatione Evangelica (§. 9. 10).

*Schol. 1.* Loquor vocationem, sic dictam simpliciter, h. e. eam, quæ fit ad salutem, a qua probe distinguamus oportet vocationem ad hoc vel illud vitæ genus 1 Cor. 7, 20 seqq. aut præcise ministerium ecclesiasticum Ebr. 5, 4. Hæc namque est individualis nec ad redemptionem, sed gubernationem divinam potius referenda, illa vero universalis, a CHRISTO nobis acquisita.

*Schol. 2.* Vocatio directa ab aliis dicitur invitatio ad acceptandam salutem per CHRISTVM partam, invitationis vocabulo et significationem et oblationem comprehendentibus. Enimvero Evangelium dum annuntiat, percipientibus salutem acceptandam offert. Posita ergo annuntiatione verbi evangelici (§. 11) invitationem ad acceptandam salutem per CHRISTVM partam poni in propatulo est.

*Schol. 3.* *Directe* quomodo homo adultus vocetur, insinuat §. 11. Contra *indirecta* vocatio ad quærendam directam manuducit. Dicitur hinc virtualis, pædagogica, generalis, item gratia *præveniens vocationem* innuente Viro Pl. Rev. Dom. M. I. H. BYRGMANNO in der nöthigen Gegenantwort auf des Hrn. Past. Ehrenpforts so genannte abgenöthigte Beantwortung P. 1. Sect. 1. §. 6. p. 37. Fit *partim* per rationem famam, quæ, licet redemptionis decretum atquæ hinc evangelicas doctrinas expresse non doceat, eiusmodi tamen principia subministrat, ex quibus ad utriusquæ existentiam probabiliter argumentari possumus Act. 17, 25 - 27, *partim* per famam ecclesiæ tam Iudaicæ in V. T. quam christianæ in N. T. 1 Reg. X, 1 sqq. 2 Reg. V, 2 seqq. 15. Matth. V, 14 Rom. I, 8. 1 Thess. I, 8. Vid. CARP. I, c. T, II, P, I, C, I §. 86, *partim* etiam per præconium legis,

gis, pædagogi ad CHRISTVM Gal. III, 23, 34: ex quo illuminationem legalem vocatione directa priorem esse posse facile sequitur, quod tamen necessarium non est, cum directa sæpius vocatio obtingat, legis doctrina nondum collustratis, quales esse vocati debent, sicubi eos fidei producendæ ergo contritione cordis donare DEVS velit.

Schol. 4. Vocatio *indirecta* tendit suo modo vel remote ad hominum salutem (Schol. 2, 3). At salutem hominum nullatenus intendere DEVS potest extra meritum CHRISTI, aut gratiam CHRISTI merito partam. Indirectam ergo vocationem a CHRISTO promeritam esse, et ad gratiam referri debere (§. 5) liquet. Præcipue hoc notamus ob vocationem indirectam, quæ fit per sanam rationem, ne quis naturæ tribuat: quod gratiæ debetur, CHRISTI merito innixæ. Debetur autem ei destinatio conclusionum rationis et notitiarum atque instinctuum naturalium ad fines salutares mediante vocatione directa, his ipsis directe intenta, efficiendos. Vide sis b. FECHT, *Pelagianismi doctrinæ de vera irrogenitorum circa res sacras notitia depulsi* Aph. 1, item *de ordine modoque gratiæ divinæ in conversione hominis occupatæ aphorism. theolog.* Aph. 6, 7.

Schol. 5. Vocationis directæ causa media est Evangelium (§. 11). Rectissime igitur PAVLO 2, Thessal. II, 14 DEVS nos vocasse dicitur per Evangelium εις περιποίησιν δόξης (gloriosum) Domini nostri IESV CHRISTI. Dissentiunt CONSTANTINVS SCHVZIVS, SPENERVS, LYSIVS, ZIEROLDVS, ceterique Pietistæ, diffidente licet PACHOMIO *Syn. logom.* p. 144. seqq. cui tamen repugnat IOH. FRANCISCI *Salome nesciente quid petat?* p. 42. Nos controversiæ huic h. l. non immoramur.

Schol. 6. Differunt inuicem *vocatio directa* et *illuminatio speciatim evangelica*, pro actu sumpta 1. ratione *formæ*. Vocatio enim

enim consistit in annuntiatione Evangelii per significationem et oblationem salutis a (CHRISTO partae (§. 11. Sch. 2), illuminatione autem certam veritatum evangelicarum notitiam intellectui ingenerat (§. 9); 2) ratione *termini a quo et ad quem*. Nam vocationis terminus a quo est ignorantia in salutis via, *apisia* & miseria, ad quem status fidei salutisque, cum e contrario illuminationis terminus a quo fit tantum ignorantia et error in veritatibus salutaribus, ad quem autem salutaris cognitio cum adfensu. Comp. b. WERNSDORFF. assert. doctrinae de *gratia Sp. S. docente* disp. II. prop. II. p. 5. seqq.

*Schol. 7.* Interim aliquam utriusque cognationem fateor. Vocat enim DEVS per verbum Evangelii s. lectum s. praedicatum (§. 11): neque vero vocari quis potest, nisi quorsum, quare, et quomodo venire debeat, ex parte et confuse simul edoceatur. Quodsi iam sensationes, dum organo sensorio motus ab obiecto imprimuntur, sint necessariae, vocationem (directam) illuminationis initium facere oppido sequitur. Regesit haec aduersus confusiones IOH. OLEARII b. WERNSDORFFIUS disp. cit. Prop. 2. §. 8. p. 11.

*Schol. 8.* Per gratiam *assistentem* DEVS agit in hominem regenerandum (§. 9. et Schol. 2): atqui in hominem (adultum) regenerandum DEVS agit, eum vocando, illuminando, conterendo seu convertendo, regenerando (§. 9. II. & Schol. 7). His igitur veluti gradibus gratiam assistentem distingui putaverim.

## §. XII.

Gratia DEI assistens partim in intellectum, partim in voluntatem hominis adulti regenerandi per *verbum scripturae* agit s. lectum s. praedicatum (§. 8. et Sch. 2. §. 9, 11). Vtraque vero operatio *qualiter* sese habeat, controversum est, et explicatione indiget.

## §. XIII.

VIX

## §. XIII.

Et PELAGIVS quidem, inquit b. IOANNES MVSAEVS, non agnovit aliam verbi divini operationem, quam quae in significatione & repraesentatione obiecti, seu, ut clarius dicam, in eo consistit quod quae homini & credenda & agenda incumbunt, DEVS intellectui per verba scripturae repraesentet, eorumque bonitatem mediante intellectus cognitione voluntati exhibeat; ita, ut iuxta ipsum illuminatione, prout procedit a verbo DEI, seu a DEO per verbum suum in nobis operante, sit nuda credendorum & agendorum repraesentatio seu significatio; prout vero in intellectu ea recipitur, eorundem perceptio seu cognitio, ex verbis scripturae hausta. Quae autem in voluntatem tendit actio, ipsi est moralis tantum suasio, in eo consistens, quod DEVS in verbo suo non solum quae credenda, quae agenda, quae omittenda & fugienda, ostendat: sed etiam partim adhortationibus, partim debortationibus, partim exemplis tam bonorum, quam malorum; partim denique spe praemiorum, et metu poenarum reluctantem & rebus terrenis prorsus immersam voluntatem movere, & ad obsequendum inducere studeat. Ut vero illa, quae per verba scripturae nobis proponuntur, vel etiam intellectu percepta sunt, firmo assensu amplectamur, & agenda etiam facto ipso exsequamur, id PELAGIVS nostrarum esse virium opinabatur. Nec quantum ad hoc, diversum sensisse MASILIENSES, testis est AVGVSTINVS, qui - - iis tribuit, quod docuerint, fidem non praeveneri gratia DEI, nisi quia credere non possumus, si non praecederet praeconium veritatis: ut autem praedicato nobis Evangelio consentiremus, nostrum esse proprium, & in nobis ex nobis esse tr. Hal. de conversione disp. 4 §. 21, 22. Nullo negotio hinc consequitur, PELAGIVM atque SEMIPELAGIANOS nullam aliam DEI assistentis operationem credidisse, quam quae per vim sacrae scripturae, cuilibet sermoni v. g. morali intelligibili atque perspicuo propriam sese exferat, quod idem est, ac si diceres, hominem, viam salutis per scripturae verbum naturali via edoctum propriis viribus converti atque ad fidem perducere salvificam,

§. XIV.

## §. XIV.

Nos, scripturam sacram spectantes non ut verbum commune, sed ut DEI verbum, sensu divino foecundum, & vi divina armatum, haud inviti quidem largimur, aliquam & historicam scripturae cognitionem praesertim quoad voces extra contextum spectatas ope terminorum & phrasium ex usu loquendi vulgari maximam partem petitarum, nec non regularum hermeneuticarum, quas ratio suppeditat, hauriri posse, sed plenam & indubitatam illius notitiam a vi illuminatrice, quae cum verbo indivulsa est coniunctissima, omnibusque, qui malitiose non resistunt, se insinuat, proficisci, persuasissimi sumus. Quae inter MUSAEVUM & dissentientes hac de re disputata sint, non ignotum est. Dabo illius verba: *Constat, inquit, quod intellectui ad hoc, ut in obiecti alicuius notitiam deducatur, nihil per se & simpliciter sit necessarium, quam ut obiectum ei repraesentetur, quo concurrente intellectu agente intellectio fieri, & conceptus rebus congruentes formari possint. Et quia nemo inficiatur, verba scripturae significare ex instituto, & esse a scriptoribus sacris sensu & significato eo, quem in communi loquendi consuetudine obtinent, adhibita, quid impedit, quo minus etiam praeciso omni speciali concursu & operatione Sp. S. per se apta sint, ut potentiae cognoscenti obiectum, in quantum quidem requiritur, repraesentent, eique conceptus ingerant, rebus ipsis conformes?* tract. cit. disp. cit. §. 27. Alios nonnullos Theologos idem sensisse testis est b. FECHTIVS Pelagianismi depulsi aph. X & ult. p. 36. vid. aph. IIX. Quoad assensum sive generalem sive specialem quandam intellectus humani sibi relictum vim esse negamus, ut neque eum elicere, neque ad motus spirituales facultatis appetitivae excitandos quomodocunque dirigere queat. Sermo autem nobis est h. l. de veritatibus scripturae salutaribus, partim legalibus, partim evangelicis, non quibuscunque historicis chronologicis &c. quarum nulla in conversionem hominis proxime influit. Quantum ad has, thesin nostram

pro:



probat defectus liberi arbitrii circa bona spiritualia, quem loca evincunt 2 Cor. V, 5, coll. Gen. VIII, 21, inprimis Rom. VIII, 6, 7. C. VI, 20. Col. II, 13. Eph. II, 1. Ezech. III, 7. C. XI, 19. Rom. II, 5, siquidem ostendunt, naturam ad malum ita determinatam esse, ut peccare non possit non, h. e. ut, licet non necessario feratur in hoc praecise peccatum, v. g. in adulterium, homicidium, non possit tamen, quin vel in hoc vel illud, vel in aliud aliquod feratur, quodcumque etiam sit, & s. aliquo actu interno, s. externo aliquo, dicto aut facto, id committatur. Posita enim hac ad malum determinatione quomodo appetet obiecta spiritualia, suamque dolens ex lege operabitur conversionem homo ψυχικος? Id vero praestandi cum non habeat vires, tantum abest, ut firmo doctrinas salutares vel maxime cognitae assensu complectatur, ut ne probabilem quidem reddere cognitionem suam queat. Is enim cum operationibus appetitivae facultatis *necessario*, probabilitas vero cognitionis *accidentaliter* cohaeret, unde qua doctrinam Evangelii PAVLVS I Cor. II, 14: ψυχικος ανθρωπος *non SVSCIPIT* (δεχεται) ea, quae sunt SP. DEI: STULTITIA enim illi sunt, & non potest scire, quia spiritualiter diiudicantur, coll. C. I, 23. 2 Cor. X, 5.

*Coroll.* Neque igitur locum invenit nuda moralis suasio Pelagiana (§. 13), quippe quae, iterum observante MVSAE-O, homini non confert vires ad agendum, sed eas in ipso praesupponit, ut fieri nequeat, ut suadendo quis ad agendum inducatur, nisi in iis, in quibus voluntas habet libertatem et facultatem se ipsam ad actionem determinandi, et quando ipsa ex se in obiectum tendere potest. Sed voluntas hominis convertendi ne tantillas quidem habeat vires circa bona spiritualia, quibus ad ea distincte cognita sese determinare, et in illa tendere possit, ut ad acquirenda. Nec obiihi, l. possunt obtestationes, comminationes, promissiones etc. divinae, sicubi eas vel non crediderint, vel exploferint, vel seculi huius voluptatibus postposuerint homines carnales sub peccatum venundati, Vt paucis dicam: haec

hæc et eius generis omnia alia, ut talia, sunt materiale scripturae, quo mediante Sp. S vim exferit, non ipsa vis, per quam Sp. S. operatur. Vnde Theologi, quando materiale hoc una cum vi supernaturali complexe spectant, docent, scripturae vim non esse nude et mere moralem, ut indicent, respectu quidem comminationum etc. ei inesse vim quandam moralem, sed praeterea adesse aliam efficaciam divinam et effectivam, quae plane non est, nec esse potest moralis.

*Schol. Quamvis autem, inquit laudatus MVSAEVS, operatio illa, qua DEVS in hominis convertendi voluntatem agit, non sit nuda suasio, sed vera et realis actio: tamen, cum eadem nec sit contra voluntatis naturam, nec libertatem ad oppositum ei adimat, coactio dici nequit. Vnde existimamus, inter suasionem moralem et coactionem, quod ad negotium conversionis attinet, omnino tertium dari, nempe actionem illam DEI per verbum, quae cum realis, sit non est mera suasio, sed vera et altioris ordinis actio: et, cum voluntati libertatem ad oppositum relinquat, nec eius naturae contrarietur, non est coactio, sed actio, morali suasioni analogal.* e disp. cit. §. LX: quam tamen ceteri Theologi sensu haud discrepante *physicam* vel *physicae analogam* simpliciter vocant, atque ex dictis Scripturae colligunt, in quibus modo virtuti morali, s. persuasoriis humanae sapientiae verbis opponitur I Cor. II, 4, coll. Rom. I, 16, Ebr. IV, 12, modo vis suscitans ex mortuis Eph. I, 19 vivificans ex morte Eph II, 5, 6, Col. II, 13, creatio novi cordis Psalm. LI, 12, Eph. II, 10, datio novi cordis novique spiritus Ezech. XXXVI. 26, circumcisio cordis Deut. XXX, 6 audit, modo cum tractu comparatur Ioh. VI, 44, ne dicam de locis Ier. XXIII, 29, Apoc. III, 20; Ier. XXIII, 29. Luc. XXIV, 32; Es LV, 10 seq; Marc. VI, 26, 28, Luc. VIII, 11. IPetr I, 23, quae omnia sine vi effectiva et physica satis intelligi nequeunt. Confer. praeterea Excellent, REVSCH. *prolegom. Theol. Theticae* Cap. II. §. 90.

§. XV.

Ceterum gratiae assistentis operationes fieri immedietate virtutis & suppositi, non medii, ex dictis iam adparet (§. 13, 12).  
COROL.

## COROLLARIA.

I.

**T**heologus ad omne bonum opus aptus, ubi necessitas & occasio postulat, *Polemicum* agat necesse est. Quamvis igitur *Philosophia Wolfiana* non contemnendum in Theologia praestare usum queat, sicubi ea non abutaris, vix tamen sola Theologo sufficit in cathedra versanti.


II. Fac mysteria interpreteris, quae ex una & sola DEI infinita natura, qua tali, prodeunt, ita, ut concipi quidem possint, comprehendi autem non possint: posito hoc caractere, dum omnem de DEO naturalem doctrinam in mera mysteria convertis, dari mysteria vere negas.

III. Essentias & attributa rerum esse incommunicabilia, cum philosophis antiquioribus dixit WOLFIUS. E. in humana CHRISTI natura non datur communio essentiae & attributorum divinorum inhaesiva & subiectiva. Neque tamen negare ausim, quod ei essentia & attributa divina competant per aliud, nimirum per & propter unionem personalem. Contra IAHRIUM.

IV. Tertium communicationis idiomatum genus, cum apotelesmaticum sit, cum stricta acceptione logica vocabuli idiomatum vix satis convenit. Inter ea, quod idioma latius dici queat, atque tum, si communicationem in statu, hoc est, communionem spectemus, omnia bene se habere non repugnare.

V. Bona irrogenitorum opera privative spectata, peccata dixerim. Patet iam, an regenitis B. O. naturaliter talia praestare liceat, nec ne?

✻ ( 0 ) ✻





✻ \* ✻

Lib. I. Sect. XIII. Eo modo se res ha-  
n magnetibus. Mihi quidam est, qui  
massam in distantia crassitie chartæ  
videtur, quæ illi tamen, dum se pro-  
t magnes & ferrum, satis forte ad-

æ hucusque exposui, abunde elucescit,  
solam illa haud actuare phænomena,  
si cuidam Physici tribuunt. In hac igi-  
nus, vana erit persuasio, si in internas  
ires naturæ, opinamur. Interim ta-  
dam ut adsit, necesse est. Qualis igi-  
vis attrahens, agens in distans, cor-  
is aut naturalis, ut quamlibet materiæ  
netis instar concipere liceat? Si affir-  
fecasse non solviffe, Philosophi dicent.  
chanica suspicanda est ratio? Nondum  
ndum est, excogitari posse motum ma-  
t ostendi per impulsum ea fieri, quæ  
tæ attrahenti tribuimus? Mechanis-  
ditionis inter impossibilia esse referen-  
us evictum est ac per attractionem  
oni; licet per plurimi, e. g. *celeb. Krat-*  
*s, Hambergerus* aliique, demonstrare pri-  
cicut nec vortices cœlestes ita destru-  
*Newtoni* ratiociniis, licet d' *Alembertus*  
mare & ab objectionibus *Joh. Bernoulli*  
it, ut nulla restaret possibilitas a ma-  
impulsu, motum derivandi corporum  
cœle-

C 3

cœle-

